



DANTES Aligerus, Florentinus, cùm humanioribus tum diuinis literis instructissimus, Philosophus ac Poëta, nulli suo seculo secundus, pulsus patria, in Gallia aliquandiu maximè Parisiis, postea apud Arragonum Regem exulans, de sua calamitate varia edidit opera. Tandem exul etiam apud Rauennam obiit, Ludouico Bauaro Imperante, anno mundi 5283. à Christo nato 1321. Videto Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Supplementum Chronicorum li. 13.

CANIS Scaliger, à rebus gestis, cognomento Magnus, Veronæ vrbis dominium sibi vendicans, rexit eam annos ferè 20. quam etiã variis ac superbis ædificiis ornauit: Picenũ & Romã diolam omnem sua potius virtute ac liberali humanitate, quàm armis subegit. Princeps hic eloquens, comis, liberalis, oratoribus, historicis, poëtis, omnibus denique doctis fauens, Dantem Florentinum ad se accersuit, & præmiis ac honoribus eum donauit. Hic sine virili prole moriens, duobus nepotibus, Alberto inquam & Mastino fratribus, vrbis tantæ dominium reliquit: obiit Veronæ, atque inibi maxima funeris pompa sepultus est, anno à mundo cõdito 5291. atq; à Christo nato 1329. Videto Chronicorum Supplementum li. 13.